

repetitione, quia alias una eademque spiritus simplicis substantia foret multiplex, aut reproductio in anima et Angelis naturaliter haberetur.

*Inst. 2.* Si Deus foret immensus, sequeretur; eum replere etiam loca obsecnissima; praesentem esse in dæmonibus, facere jam nunc omnes omnino homines beatos; cum Dei praesentia hominibus beatitudinem tribuat: sed 1<sup>um</sup> est absurdum et Deo indignum; 2<sup>um</sup> impossibile, juxta illud 2. ad Cor. 6. *Quæ autem conventio Christi ad Belial etc.; 3<sup>um</sup> falsum; ergo.*

*R. Ad. 1<sup>um</sup>. Seq., quam frivolum et responsione indignam Hug. A. S. Vicr. vocat, N. m. non enim periculum est, ne Deus a locorum sordibus inquinetur, cum spiritus sit ejusmodi inquinamenti incapax.*

*Ad 2<sup>um</sup>. Seq. N. m. similiter; quia et hic fictitum est periculum, ne dæmonum malitiam contrahat Deus; allatus vero textus consensum et concordiam, non autem substantialem praesentiam Dei diabolique negat.*

*Ad 3<sup>um</sup>. Seq. prob. D. Praesentia Dei specialis per gratiam consummatam et lumen gloriae tribuit hominibus beatitudinem C. ordinaria et omnibus communis per cognitionem, operationem et substantiam N.*

*73. Observa.* Utrum Deus existat extra mundum, seu in *spatiis imaginariis*, fere ad modum loquendi pertinet, in quo ipsi etiam SS. PP. discrepant. Alii putant, melius dici, Deum non esse in spatiis imaginariis, sed in *se ipso*: alii utrumque bene affirmari, contendunt. Si itaque per spatia imaginaria intelligas spatia creata a Deo distincta, quæ actu non existunt, proprie loquendo Deus iis non coexistit; si vero intelligas ipsam Dei immensitatem, quæ a nullis mundi spatiis includitur, sed eminenter continet spatia majora et majora in infinitum, potest dici existere in *spatiis imaginariis*, quod reipsa nihil est aliud, quam existere in sua immensitate, quæ nullo finito spatio terminari potest.

#### ARTICULUS IV.

##### AN DEUS SIT OMNIPOTENS?

*74. Nota.* Vox *omnipotens* sub gemina significatione a Patribus usurpatur; modo enim idem sonat ac παντοχράτωρ, seu quod in omnia potestatem ac dominatum habet; modo idem ac παντοδύναμος, seu quod omnia facere potest. Utraque significatio Deo tribuitur, dum eum omnipotentem constitemur; de postrema tamen hic duntaxat agitur, quæ potentiam vere ac proprie effectricem, eamque amplissimam tum ratione *sui*, tum ratione *actionis*, tum ratione *objecti* exprimit. Quæritur hic de potentia *activa*, quæ est principium agendi, seu vis et virtus producendi quidpiam; activa *ad intra* dicitur, quæ producit terminum principio immanentem, h. e. in principio receptum instar formæ aut modificationis, vel ejusdem numero substantiae cum illo; activa *ad extra*, quæ producit terminum transuntem seu extraneum, h. e. a principio realiter seu numericō seu specificē quoad naturam distinctum. *Primam* Deo competere evincit Mysterium Trinitatis; de *secunda* testatur Scriptura 2. Paral. 20. 6. Job. 13. 23. Ps. 105. 2. et alibi saepius. Preterea hec Dei potentia distingui solet in *absolutam*, et absque ullo respectu ad naturas rerum vel alias causas: et in *ordinariam*,

prout operatur secundum communes leges et causas, quas in universo statuit: Nomine *actionis* intelligi potest vel ipsa operatio, vel modus agendi. Circa priorem a Theologis id discriminis inter potentiam divinam et creatam statuitur, quod hæc sit principium actionis et effectus simul, ista autem solius effectus. *Posterior* acceptio pertinet tum ad instrumenta, cum aut sine quibus actio sit; tum ad materiam, ex qua fit; tum ad ipsum effectum, quia alius sive ex se, sive ex fine, sive aliunde dicitur. *Objectum* omnipotentiae adæquatum statuitur omne illud, quod est possibile. Dicitur autem possibile *dupliciter*, positive seu extrinsece, negative seu intrinsece.

Præter veri Dei contemptores, ac diffidentes saepius Supremo Numini Judæos, Manichæi aliqui duorum principiorum cultores Deum bonum fecerunt adeo impotentem, ut non posset avertere malum: *Hermogeniani*, *Seleuciani*, cæterique post Platonicos aut alios etiam Philosophos materiam Deo coeternam finxere, quod negarent Deum facere quidpiam posse ex nihilo. Ejusdem etiam erroris a THEOPHILo ALEX. ep. Pasch. 2. n. 47. accusatur ORIGENES asserens tanta posse Deum, quantum ei ad operandum materia ministraret: *Ariani* Filium Dei velut instrumentum a Patre conditum esse voluerunt, quo ad cætera procreanda necessario sit usus. Adduntur ORGENES, PETRUS, ABELARDUS, WICLEFFUS, aliqui, qui negarunt Deum posse facere alia plura aut meliora iis, quæ fecit vel vult facere.

*75. Dico I.* Deus habet infinitam potentiam *ad extra*.

*Prob.* Ps. 144. 5. dicitur: *Magnus Dominus... et magnitudinis ejus non est finis*: quod de virtute ac potentia intelligendum esse, colligitur ex subiectis: *Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pranuntiabunt*. Eccl. 18. 3. *Quis investigabit magnalia ejus: virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit, aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?* Non minuere neque adjicere, neque est invenire magnalia Dei. Esther. 13. 11. *Domine Rex Deorum et universæ potestatis.* Hilar. L. 8. n. 24. de Trin.: *Deus, inquit, est immense virtutis vivens potestas.*

*Conf.* 1<sup>o</sup>. Potentia finita, ex qua parte est limitata, et imperfecta est, et talis, qua facile alia major concipi potest: sed in Deo neque ulla imperfectio esse potest: nec aliqua perfectio talis, qua possit in illo genere major alia facile et sine repugnantia concipi; ergo potentia in Deo non est finita, sed infinita. 2<sup>o</sup>. Potentia Dei potest spectari vel ratione subjecti, cuius est potentia, vel ratione sui, vel ratione actionis et modi agendi, vel ratione objecti: sub quacumque autem ex his ratione spectetur, emicat infinitas. Nam *subjectum* aut quasi *subjectum* potentiae divinæ est essentia simpliciter infinita in genere entis; adeoque cum proprietates sequantur conditionem sui subjecti, etiam potentia infinita est. Potentia Dei *ratione sui* spectata ex nuper dictis non est limitata et finita; ac preterea habet omnes conditions perfectionis simpliciter simplicis. Ratione *actionis* et *modi agendi* est plane independens ab alio, sicut ratione essentiae Deus est independens; quia modus agendi sequitur modum essendi. Hinc SS. PP. probant cont. *Manichæos et Arianos*, Deum creasse omnia de nihilo, et opus non habuisse instrumento. Spectata demum ratione *objecti*, potest plures ac plures, item perfectiores et perfectiores creaturas absque termino, et sic infinitum produ-

cere : quia Deus simpliciter infinitus est et nunquam satis participari potest; adeoque semper magis et magis ac infinitis modis est participabilis.

76. *Dico II.* Deus est omnipotens.

*Prob.* SCRIPTURA S. 1<sup>o</sup>. Deum plusquam septuaginta in locis vel ex propriis ejus, vel ex Scriptorum sacrorum, vel ex hominum justorum verbis omnipotentem vocat. 2<sup>o</sup>. Deo dicit nihil impossibile; Genes. 18. 14. : *Numquid Deo est quidquam difficile?* quod 70. Interp. per impossible vertunt ωη ἀδυνατίσει Jerem. 32. 17. Non erit tibi difficile omne verbum. Luc. 1. 37. Apud Deum non erit impossibile omne verbum. 3<sup>o</sup>. Deo dicit omnia possibilia; Jobi 42. 2. Scio, Domine, quia omnia potes. Marc. 14. 36. *Abba Pater!* omnia tibi possibilia sunt. Matth. 19. 26. Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt. In Symbolo Apostolico et Nicæno profitemur nos credere in Deum Patrem omnipotentem; et in Athanasiano dicimus: *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.* Demum Patres unanimiter idem testantur; et quidem eorum nullus est, qui Deum non appellat omnipotentem: præsertim autem id faciunt, qui aut scripserunt in Symbola, aut genuinam illam Omnipotentiæ usurpationem exposuerunt, DIONYS. et CYRILL. ORIG. GREG. NYS. TERT. AUG. etc. Eam in rem HUETIUS testimonia gentilium Philosophorum et Poetarum collegit.

*Conf.* 1<sup>o</sup>. Potentia simpliciter infinita est infinita omnibus modis, quibus esse potest; adeoque non solum infinita est in sua perfectione entitativa aut modo agendi, sed etiam in objecto, quantum ex parte illius est aut esse potest infinitas; ergo cum Deus habeat infinitam potentiam, sub suo objecto includit omnia possibilia: ergo est omnipotens; cum ille dicatur talis, qui omne facere potest, quidquid non implicat. 2<sup>o</sup>. Quidquid est possibile, nec tamen a se sed ab alio, est per aliam potentiam possibile; ergo vel illa potentia est in Deo, et sic erit omnipotens; vel est in alio quodam ente, et sic multo magis et perfectius debet esse in primo ente, a quo scilicet illud ens potentiam suam participat; adeoque rursus Deus erit omnipotens. 3<sup>o</sup>. Potentia aliunde limitari non potest, quam vel ex dissimilitudine affectus, vel ex maiore effectus notabilitate, vel ex necessitate certæ materiæ; nihil autem Deo hoc sensu est dissimile, quod illud in se eminenter non contineat: Deus rebus omnibus est infinite perfectior: Deus ab ejusmodi dispositione non dependet, cum creare possit; vel in materiam dispositiones quascumque inducere potest; ergo.

77. *Dico III.* Deus absolute potest plura et majora iis, quæ fecit aut facere jam vult.

*Prob.* 1<sup>o</sup>. p. SCRIPTURA enarrat plura Deo possibilia, quam quæ Deus fecisse aut facturus esse legatur. Sap. 11. 8. Recenset plures poenas et tormenta, quibus peccatores torqueri possint; 1. Reg. 11. 30. *Heli*, et c. 13. 13. *Sauli* exhibet sortem familiæ futuram, si officio aut Dei imperio satisfecissent; 2. Mach. 8. 18. *Jude* Machabæi ore enuntiat, Deum uno nutu posse delere hoc universum; Matth. 3. 9. per Joan. Baptistam declarat, de lapidibus posse suscipi *filios Abraham*; Matth. 26. 53. Christo ipso interprete docet duodecim Angelorum legiones mittendas a Patre, si Filius rogaret. Similiter ATHANAS. Or. 2. cont. Arian. AUG. L. 26. cont. Faust. c. 7. BERN. ep. 190. c. 8. n. 9.

docent, Deum alia ratione, quam per Verbi incarnationem, potuisse redimere genus humanum. Aliæ exempla potentiae divinæ affert TERTUL. adv. Prax. c. 10. AUG. L. de Nat. et Gr. c. 7. L. de spiritu et littera ad Marcellin. c. 1. et 33. THEODORET. serm. 4. cont. Gentil.

*Prob.* 2<sup>o</sup>. p. Ad Ephes. 3. 20. de Deo dicitur: *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus;* ubi dum in greco legitur, ὃπερ πάντα super omnia et ὅπερ επερισσοῦ superabundanter, primum ad opera, secundum ad eorum perfectionem referri videtur. Accedunt testimonia Patrum; nam DIONYS. L. de div. Nom. c. 8. §. 2. scribit: *Deus omnipotens, non solum omnem potentiam producendo, sed etiam..... quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere; et quod infinito in infinito numero productæ potentiae nunquam queant supraquam infinitam potentie ejus potentia effectu hebetare.* THEOPHIL. ALEX. in ep. Pasch. 2. n. 18. Necesse est, inquit, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coequari, si non potuit majora facere, quam fecit. CYRIL. ALEX. L. 9. in Joan. ad illa verba: *Opera, quæ ego facio, ipse faciet, et majora hōrum faciet,* haec notat: (opp. t. 4. p. 803): *Non enim ideo, quod ad majora facienda vis illum desiceret, iis quæ perfecta sunt, virtutem propriam definit.* Verum cum ea peregisset, quæ fieri oportebat, et quæ tempus ferebat, non eousque tantum pervenire posse immensam ejus potentia magnitudinem utiliter iis verbis ostendit. AUG. serm. 119 de temp. (al. 213. n. 1.): *Omnipotens est, de Deo inquit, ad facienda majora et minora: omnipotens est ad facienda cœlestia et terrestria... Magnus in magnis, nec parvus in minimis: postremo omnipotens ad facienda omnia, quæ facere voluerit.*

*Conf. utr. p. 1<sup>o</sup>.* Deus in agendo ad extra est *infinite potens*, et consequenter valet ad plura et perfectiora: est *omnipotens*, et hinc potest omne id, cui esse non repugnat: sed nugatorium est et falsum, id duntaxat non repugnare, quod Deus de facto facit aut facturus est; cum esse divinum *infinity modis* participari possit, nulla autem creatura illud perfecte imitetur, adeoque semper aliud et aliud ac perfectius et perfectius supersit producendum; ergo. 2<sup>o</sup>. Si Deus plura et perfectiora non posset producere, id oriretur, vel quia ex naturæ necessitate agit, et hinc facit omne quod potest; vel quia potentia determinatur ad hunc rerum concursum propter ordinem sapientiae et justitiae divinæ: sed 1<sup>o</sup>. est falsum ex libertate Deo propria; 2<sup>o</sup>., quia ordo rebus impositus non adaequat sapientiam divinam sicut nec divinam bonitatem; ergo. 3<sup>o</sup>. Ex contraria opinione sequeretur *primo*, cum omnes creature a Deo productæ et producendæ sint numero et perfectione finitæ, per finitam productionem exhaustiri infinitam potentiam: *secundo* Deum non potuisse præservare Adamum a lapsu, Davidem ab adulterio, Saulem a perditione; non potuisse emollire cor Pharaonis, convertere Achabum, trahere Judam ad penitentiam; non potuisse Christum dare signum *Scribis* pentibus, vocare in defensionem sui *Angelos*, descendere de cruce, etc., adeoque inevitabile esse rerum omnium eventum, tolli gratiam, libertatem et meritum, necessariam et excusabilem esse peccatorum malitiam: *tertio* Deum signa et prodigia, quæ ab eo facta legimus in Scriptura, postmodum autem non amplius renovabuntur, etiam non posse amplius patrare, et sic potentiam eorum esse tantum pro vice simplici.

Dixi: *absolute potest facere* etc.; excludendo potentiam ordinariam, prout

hic sumitur. Ut enim Deus potentia ordinaria possit plura vel alia facere, quam facere decrevit, requiritur, ut possit vel mutare decretum, vel contra illud agere; quia si neutrum posset, alia non posset exequi, quam quae ab eterno decrevit, non quidem propter defectum virtutis ad agendum sed propter immobilitatem et efficaciam voluntatis, sine cuius imperio et applicatione impossibile est potentiam divinam aliquid exequi: sed Deus neutrum potest; cum ex primo sequatur in Deo imperfectio ignorantiae vel levitatis; ex secundo autem aliquid impossibile, nempe agere aliquid contra efficacem volitionem. Hanc vero potentiam ordinariam restrinximus ad accensionem primam, non vero secundam num. 74. indicatam; quia certum est Deum facere multa et plura facere posse contra vel supra leges communes et causas in universo statutas.

78. Obj. cont. I. Potentia Dei agendi ad extra non est infinita in genere entis; ergo non continet eminenter omnes effectus possibles; ergo non est infinita. Conf. 1º. Potentiae infinitae debet correspondere terminus seu effectus infinitus: sed nullus extra Deum potest assignari terminus infinitus; ergo potentia Dei ad extra non est infinita. 2º. Potentia Dei exceditur ab ejus scientia; quia Deus plura cognoscit, nempe mala, quam facere possit; ergo non est infinita.

R. D. A. Potentia Dei ad extra realiter sumpta non est infinita in genere N. formaliter et praecisive sumpta subd. non est infinita in ratione entis, h. e. non est collectio omnium perfectionum divinarum, sed una duntaxat perfectio in suo ordine infinita C. non est infinita in ratione entis, h. e. non se extendit ad omnes omnino effectus possibles N.

Ad Conf. 1º. R. D. M. Potentiae infinitae debet correspondere terminus seu effectus infinitus quoad modum agendi; Deus enim teste S. Aug. L. 11. de Civ. c. 22. magnus etiam est in minimis C. Infinitus secundum substantiam N. vel subd. debet correspondere effectus saltem syncategorematicae infinitus C. necessario categorematicae infinitus N. Deus non producit tot et tot creaturas, quin plures et plures easque perfectiores et perfectiores semper producere possit.

Ad 2º. R. D. A. Potentia Dei exceditur intrinsece ab ejus scientia, quasi illa non haberet excellentiam tantam, quantum ista N. extrinsece subd. respectu alicujus, quod sit objectum potentiae divinae N. respectu ejus, quod potentiae divinae objectum non est C. Sicut per hoc nihil decedit scientiae divinae, quod falsa non sciat, sic nec omnipotentiae, quod impossibilia, qualia mala omnia sunt respectu Dei, nequeat facere; cum facere malum potentia non sit, sed impotentia.

79. Obj. cont. II. Sunt aliqua, quae Deus facere non potest: non potest mori nec falli: non potest mentiri aut peccare: non potest facere, ut res jam praeterita non fuerit: non potest ex quolibet facere quolibet; ergo.

R. D. A. Sunt aliqua, quae Deus facere non potest, et que etiam sunt possibilia N. et quae non sunt possibilia C. Quamvis vero ex recensitis aliqua sint, quae non involvant contradictionem, si conferantur cum creatura, tamen ad Deum relata implicant repugnantiam contradictionis; unde juxta

S. THOMAM hic potius dicenda sunt fieri non posse, quam quod Deus ea facere nequeat.

Ad Prob. 1º. R. N. Cons. et supp., quod mori et falli ad potentiam activam pertineant; nam S. AUG. L. 5. de Civ. c. 10. n. 4. inquit: *Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult.* Quin ex hoc ipso Deus omnipotens est, ut idem S. AUG. Serm. 119. de tempore (al. 213. n. 1.) indicat; cum potentia passiva, quae imperfectio est, a Deo removetur. Huc pertinet explicatio, quam tradit Hugo Victorin. P. 2. de sacram. fid. c. 22. :

Ad Prob. 2º. R. similiter. Posse enim mensiri aut peccare juxta CHRYS. hom. 38. in Joan. n. 4. et AMBROS. ep. 50. ad Chrom. n. 2. *infirmitatis, non potentiae* est; tum quia haec nihil potius, quam aliquid, ut PETR. DAM. in opusc. 56. de div. omnip. ait, sunt, neque causam efficientem, sed deficientem habent; tum quia posse peccare est posse excidere ab ente, scilicet a veritate et bontate, ut DION. L. de div. nom. c. 8. §. 6. scribit.

Ad Prob. 3º. R. D. non potest facere Deus, ut res jam praeterita praeteritione praecisa et in sensu diviso non fuerit N. ut res praeterita reduplicative sumpta et in sensu composito non fuerit C. Primum Deus potest, quia potuit rem illam non velle, antequam ejus futuritionem pro eo tempore, quo constigit, decerneret: secundum non potest, quia alias deberet facere, ut praeteritum simul sit praeteritum et non sit praeteritum, ac proinde ut verum sit falsum; hoc autem ex dictis nec Deus potest, nec illud ex ratione omnipotentiae posse debet. Hinc AUG. L. 26. cont. FAUST. c. 5. *Sententia quippe*, inquit, *qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est: hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.* CYRILLUS vero eamdem rem in exemplo inter Patres agitato L. cont. Anthropomorphitas c. 13. declarat: *Cur Deus eam, quae stuprum passa est, nunquam facere potest, ut non stuprata fuerit? quia non potest mendacium veritatem facere. Neque vero imbecillitatis vitium istud est, sed naturae probatio nihil pati sustinentis, quod ipsum dedebeat: alienum autem est penitus a Deo mendacium? porro mendacium est efficeri, ut, qua stuprum passa est, nunquam sit passa.*

Ad Prob. 4º. R. D. Non potest quolibet facere ex quolibet in sensu diviso N. in sensu composito C. Nempe quamvis rerum naturae, si secundum suas notiones seu praedicta essentialia considerentur, sint immutabiles, aut si supponantur res retinere suas naturas, non possint simul acquirere aliam natum, eo quod alias tales naturae essent et non essent; si tamen naturae concipiuntur, ut existunt, cujuscumque rei natura potest converti in natum alterius rei, uti de aqua in vinum, sanguinem et ignis vaporem conversa, testimonium Scriptura perhibet. Quin et in eo potissimum vis omnipotentiae divina est posita, ut meminit AUG. l. c., *quod universa creatura sua uitit, ut ei placet.* Nam teste CHRYS. orat. de Abrah.: *Naturae affectionibus naturae opifex non servit: quoniam naturae necessitatibus non subest Deus in iis, quae efficit, cum sit naturae totius conditor.*

Inst. Si Deus potest facere omne possibile, posset exhaustire suam potentiam illud efficiendo, quia ut omnipotens debet actu possibilem facere posse; si autem actu faceret omnia possibilia, hoc ipso ejus potentia esset finita et exhausta: sed nequit dici, quod Dei potentia possit exhaustiri; ergo neque,